

Gaspari, uni alicorum, quocum graves inimicias Pyrrhus gerebat, ex patera, quam manu ferebat, propinare, Pyrrhusque imperium geminanti non paruisset, Alphonsus ira succensus, Pyrrhum stricto gladio, ut eum feriret, insecutus est: statim vero assecutus, cum vulnus jam inferre pararet, iræ fræna contraxit, gladiumque abiecit, Fulgosius, I. IV. cap. 1. Panormitanus, lib. 1. Alphonsus, ait, poculum suum dono dedisse alteri, idque Pyrrhum offerre noluisse.

IV. Jactantes triticum in mare alleviabant navim, † LVIII. Necessarium quidem hoc ad victum erat, ideo primo jactu id non ejecerunt; quia tamen necdum remisit tempestas, et extrema metuebant, etiam triticum ejicere coacti sunt, ad levandam onere navim. Triticum hoc quid nisi cupiditates sunt humanæ! Nisi *meum et tuum*, pro quibus omnis fere ira exoritur, omnis contentio instituitur? Quare qui eas a corde suo ejicere nosset, næ is continuo fluctus omnes iracundiæ sedaret, et mentis serenitatem recuperaret. Vicit hoc Ægyptius quidam anachoreta, qui interrogatus, cur adeo se omnibus corporis voluptatibus subtraheret, respondit: *Ut hac ratione omnem iræ causam et occasionem præcidam. Ira quippe ut de voluptatibus certans accenditur, ita voluptatum suppressione sopitur.* Refert Nicephorus, lib. XI. hist. eccl. cap. XLIII. Cur quæso irascimur, nisi quia aliquid nobis adimitur, sive id sit pecunia, sive fama, sive honor, sive imperium, sive commoditas aut voluptas aliqua? Qui ergo hæc omnia spernit et pro minimis habet, videbit se nequaquam causam irascendi habere, non magis quam infantes, quando irascuntur et plorant ob subtracta sibi crepundia, globulos aut baculos. Solæ cupiditates terrenæ sunt, quæ gravant navim cordis nostri. Unde Plutarchus, I. de coh. iracund. ait: *Radix iræ inordinatus amor sui est, cupiditas nimia, superbia, elatio animi; hæc tolle et remedium apposisti iræ.* Quemadmodum enim aspides semper binæ conjuges (teste Plinio, I. VIII. cap. XXIII.) solent incedere, ut una alterius causam et defensionem suscipiat; ita etiam in homine se mutuo comitantur appetitus concupiscibilis et irascibilis, ut hic illius causam agat, et a lædente vel impediante defendat. Quod si igitur concupiscibilis ita sit moderatus, ut non facile lædi possit, quia scilicet res concupiscibiles parum aut nihil curet, nec irascibilis insurget in læso rem sororis suæ. Videre id erat in servo Dei Stephano, cujus horreum cum malevolus quidam incendisset, alique ei dicerent: *Væ, tibi malum contingit*, respondit: *Væ ei, qui accendit*, apud S. Gregorium, lib. IV. dialog. cap. XIX.

V. Milites Paulum et alios captivos occidere volebant: prohibuit tamen centurio, † XLII. Pari ratione, durante iracundiæ tempestate, nemo serium aut severum aliquid statuere debet. Suadet hoc imprimis Seneca, I. III. de ira, cap. XII. « Nihil, inquit, diligenter in fluctu cernitur. Non potuit impetrare Plato a se tempus, cum servo suo irascetur, sed ponere illum statim tunicam, et præbere scapulas verberibus jussit, sua manu percussurus. Postquam intellexerit irasci se, sicut sustulerat, manum suspensam denitebat, et stabat insano persimilis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte inter venerat, quid ageret? Exigo, inquit, penas ab homine iracundo: velut stupens gestum illum sævituro deformem sapienti viro servabat, oblitus jam servi: quia alium, quem castigaret potius invenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem, et ob peccatum quoddam commotior: Tu, inquit, Speusippe, servulum istum verberibus objurga, nam ego irascor. » Idem alio loco: *Cum iratus fueris, ait, nihil agas, nihil dicas quod ab ira imperetur.* Deinde, Petrus Damianus, ep. XVI. ad Adelaidem, I. VII. ep. « Sicut in tuentis visum aqua, inquit, dum quiescit, admittit; si turbatur, obtundit: sic humanus animus in ipso perturbationis articulo in offensam recti judicii regulam et lineam non attendit. Unde necesse est ut in posterum sententia differatur, quatenus æquata justitiæ lance, iudicium, quod perturbata nequiverat, mens quieta suspendat. » Hac regula usus David dicebat: *Turbatus sum, et non sum locutus*, Psalm. LXXVI. Qui etiam (ut mox ibidem advertit Damianus) in Joab et Semei, a quibus graviter offensus erat, non animadvertit dum viveret, ne iræ stimulus locum in eo habere posset; sed vindictam commisit filio, post mortem demum suam, ubi irasci non amplius poterat, reis inferendam, III. Reg. II. Itaque David, instar Platonis, non ad horam tantum, sed usque ad mortem suam suspensum tenuit brachium suum, ne in ira sese vindicans limites æquitatis transcendere.

VI. Paulus afflictorum et periclitantium animos a timore et labore nonnihil avocavit, dum eos cibum sumere jussit, et ipse prior sumpsit; quo instantis periculi nonnihil oblitus vires et animum resumerent, vers. XXXV. Ita etiam expedit in fluctibus iracundiæ alio mentem convertere et honesto aliquo negotio sese occupare. Laudatur hac de re Clinias philosophus Pythagoreus ab Æliano, I. IV. var. hist. cap. XXIII. « Is, si quando, inquit, in iram deiapsus esset, atque ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim priusquam prorsus invaderetur ab ira, et elucesceret in ipso mentis affectus, chordis adaptatis, citharam pulsavit. Interro-

gantibus autem ob quam causam id faceret: Quoniam, inquit, mitior animo. » Profuit etiam hoc B. Columbino, qui aliquando a negotiis domum eum non modica fame et prandendi orexi reversus, cum mensa necdum parata esset, vehementer exarsit iracundia. Conjux, ut, dum parabat cibos, virum placaret, librum obtulit parum delibandum. At ille commotior, prandendi non legendi tempus esse murmurans librum abiecit. Mox tamen resumpsit, et lecturus aliquid, in vitam Mariæ Ægyptiacæ incidit. Dum ergo legens pergat, non modo iram omnem sedavit, sed insuper historiæ dulcedine captus, statuit deinceps in Dei impensiore cultu et vitæ castimonia (quam et conjugii persuasit, et ipse Deo vovit) totam vitam agere.

VII. De puppi miserunt anchoras quatuor, † XIX. ut ita navim sisterent, donec dies illucesceret. Periculosum et temerarium est noctu in tenebris navigare; sic etiam iram per noctem retinere. Idcirco apostolus ad Ephes. IV. scribit: *Irascimini et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.* In quem locum Sanctus Chrysostomus ait: « A die ipso ad pacem Paulus impellit: secretum enim noctu veretur, ne forte solum excipiens sauciatum, majus profecto vulnus efficiat. » Ecce vero noctem veretur? « In die namque (adjungit) multi sunt advocantes atque retrahentes, in nocte autem quia solus relinquitur, intraque semetipsum cogitationum æstibus huc illic jactatur, in immensum verticem minarum fluctus tumescunt, fitque major omnino sæviorque tempestas. Idcirco præveniens Paulus vult jam reconciliatum nocti tradere, ne ullam occasionem de solitudine diabolus inveniat, per quam iracundiæ fornacem possit accendere, eamque efficere sæviorem, » homilia VI. in caput. V. Mathæi. Similiter Sanctus Augustinus, in libro de patientia: « Sol super iracundiam nostram si occiderit, periclitamur: non licet nobis una die sine patientia manere. » Quid igitur factu opus? Anchoræ jaciendæ, ira mox deponenda est. « Ut nautæ præsentientes tempestatem (noctu præsertim) anchoris firmant naves; ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, et in diversum nitendum, » inquit Plutarchus, in moral. Sed quæ anchoræ? Quatuor novissima consideratione expensa, et in fundum cordis jacta. Mors in primis, quæ brevi nos conjungit in cœmeterio, et omnes pares faciet. Deinde, iudicium de quo audimus in hodierno evangelio: *Omnis, citur qui irasfratri suo, reus erit iudicio*, et post iudicium, inferno. Idipsum etiam iracundiis proponit considerandum S. Chrysostomus, ho-

milia II. in Joannem. « Quamobrem, inquit, huic indomitæ belluæ nolimus habenas remittere, sed præduro fræno, metu scilicet futuri iudicii, eam cohibeamus. Quotiescumque dolore aliquo amicus te vel familiaris affecerit, ad iramque concitarit, veniat in mentem quæ tu contra Deum commiseris, quodque si a proximo offensam et contumelias æquo animo toleraveris, levius in te Dei iudicium provocabis. Dimitte, inquit, et dimittetur vobis. Cum hoc succurrerit, omnis ultionis cupiditas continuo evanesceat. » His adde gehennam ignis, quam etiam minatur iracundis hodiernum evangelium, et videtur in ira sua inspexisse David, Psalmo LXXVI. cum ait: *Turbatus sum, et non sum locutus: cogitavi dies antiquos, et annos æternos (in gehenna puta) in mente habui.* Denique, gloriam in cœlo et coronam immarcescibilem, paratam iis qui de ira sua gloriose triumpharint.

CONCIO III.

RECONCILIATIO CUM INIMICO DOCETUR.

I. Ab Hebræis. — II. A gentilibus. — III. — A bestiis. — IV. A creaturis omni sensu carentibus. — V. Ab inferis et dæmonibus.

THEMA.

Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Matth. V.

Olim apud gentiles, qui læso nonnihil cerebro erant, Anticyram mittebantur, ut melius sapere discerent. Erat enim Anticyra insula, in qua hellebori, herbæ expurgantis cerebrum, copiosus erat proventus. Itaque dicebant: *Vade et naviga Anticyras, ut sapere dicas.* Magnopere delirant qui reconciliari inimicis suis nullo modo volunt. His igitur, in hodierno evangelio proponit Christus Dominus et magister noster brevem lectionem, comprehensam unico vocabulo *reconciliare*. Quam quidem nos Christiani omnes scire et dudum didicisse deberemus. Reperiuntur tamen aliqui tam stupidi tamque læso cerebro, ut hanc vocem minime addiscere et pronuntiare queant. Ferunt munus ad altare, veniunt ad templum necdum reconciliati cum inimicis suis. Quid igitur ad nos Dominus? *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Sed quo eat, ut hoc discat? Ad Anticyras, ad Hebræos, ethnicos, bestias, etc. Isti eum docebunt et porrigent helleborum. Ego igitur tales ablegemus.

I. Vade ad Hebræos. Genes. XIII. ascendit Abraham cum nepote suo Loth ex Ægypto versus Chananæam cum plurimis pecoribus.

Cumque eos locus capere non posset, cœperunt eorum pastores inter se de terræ spatio rixari. Quid ad hæc Abraham? Ne glisceret contentio, et in cognatos se extenderet, prior nepotem alloquitur, senior juniorem: « Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est; recede a me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. » Vide hic in lege naturæ mirandam virtutem Abrahamæ. Senior fuit Abraham, ac poterat imperare nepoti; non fecit: ditior eodem fuit, poteratque eum vi opprimere; noluit: poterat ipse prior terram eligere; dedit optionem nepoti quam vellet, ipsi cessurus quæcumque. Denique, humanissime eum rogat ne litigare velit: *Ne quæso sit jurgium*, inquit: et rursum: *Recede a me, obsecro*. Sed quæ causa tantæ humilitatis? Triplicem deprehendo.

Primo: *Fratres enim sumus*, inquit. Loth filius erat fratris Abrahamæ; frater ab eo vocatur. Frater quasi *ferè alter dicitur*. Turpe et inauditum esset, si manus sinistra cum dextra litigare vellet. Jam vero Christiani nonne fratres sunt, Christo in baptismo incorporati, velut membra unius corporis? Hinc primi Christiani non aliter se quam *fratres et sorores* appellabant.

Secundo, quia ut ibi additur: *Chananæus et Pherezæus habitabant in terra illa*. Ad quid hoc commemoratur? Quia vidit Abraham, quia hoc jurgium si glisceret, scandalizandos esse gentiles illos, si ipsum, quem virtutis laudè insignem, ac quasi gentium doctorem jam norant, litigare cum propinquo cernerent (uti advertit S. Chrysostomus ibi) pro re fluxa *meo et tuo*. Cogita et tu non parum scandalizari tua inimicitia tam pertinaci alios præsertim pusillos et imperfectos. Addit idem Chrysostomus turpe futurum fuisse Abrahamo, si cum inferiore et juniore contendisset, quæ est tertia ratio, quam indicat Abraham illis verbis: *Ne sit jurgium inter me et inter te*, q. d. non sumus pares, ego senior, opulentior, patruus, id est, *quasi pater tuus*. Itaque Deus ipsi hanc humilitatem cumulatissime compensavit, dum totam Chananæam dedit; cum interim Loth male deceptus parvam terræ portionem, eamque perditioni proximam sibi elegisset, Sodomam videlicet. Hoc ergo fecit Abraham ante omnem legem scriptam, et nesciat post legem evangelicam facere Christianus? Nonne audimus in hodierno evangelio: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum? Vade igitur, vade reconciliari proximo tuo*.

II. Vade ad gentiles, qui a solo naturæ lumine legem accipiebant. Ex horum numero Aristippus philosophus cum Æschine nescio quid simultatis habuit. Cum illi quidam diceret: *O Aristippe, ubi amicitia vestra*, respondit: *Dormit, sed ego eam excitabo*. Moxque adiit Æschinem, dixitque: *Adeone tibi videor infelix et insanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te?* At Æschines: *Non mirum, ait, si cum in omnibus me præcellas ingenio, hic quoque quid factu opus erat, prior sensitisti*. Refert Plut. tract. de ira cohibenda. Unde et mirare hic in ethnico triplex rursus motivum reconciliationis faciendæ.

Primum, quia quamdiu dissidemus, tamdiu amicitia dormit, adeoque nihil boni operatur, tempus male perdit, cum possit plurimum boni facere. At dum amicitia dormit, certe inimicitia non dormit, sed cor lancinat et vexat innumeris cogitationibus, felle et amaritudine plenis, timore et rancore, ita ut Deus vix queat punire tales gravius, quam si permittat mutuis odiis et inimicitias in se mutuo desævire: sic enim miseri seipsos dentibus suis mortificant et puniunt, velut canes idem os rodentes.

Secundum, quia exponimus nos in derisum et fabulam hominibus. Ecce isti philosophi, dicent, qui cæteris sapientiores esse et aliorum odia reprehendere solent et conciliare debent, inter se contendunt dissidentque, quod in plebeis turpe est. Ubi est amicitia vestra, dicunt, ubi virtus et sapientia vestra?

Tertium, quia qui prior amicitiam dormientem excitat, et de gratia ineunda agit, ille vincit; quia virtuosior et sapientior est, præmiumque in cælo alteri præripit. Jam vero agoverint hoc gentiles, et non agnoscant Christiani? Parum esse asserit Christus, quando id facimus quod ethnici faciunt: *Si salvaveritis fratres vestros tantum*, inquit, *quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Matth. V. Quid vero si ne id quidem quod ethnici faciunt, faciamus Christiani? Ergo vade Anticyras, et discite ab ethnicis *reconciliari fratri tuo*. At hi, inquit, philosophi fuerunt, qui ita inter se luserunt. Ergo tanto magis imitandi sunt, quia sapientes. Quia tamen si tibi non sufficiunt, vide barbaros milites a signo cælesti, tametsi naturali, facile a discordiis ad concordiam reductos. Ex illis Drusus, (apud Tacitum, libro I.) tumultuantibus Pannoniis legionibus et in Romani nominis perniciem jamjam erupturis, vidit nocte intempesta lunam defectum pati: illa, inquam, nocte, quam Tacitus minacem appellat, ex eoque prodigio in spem erectus denuntiat indignari cælum, eorumque flagitia inductis tenebris aversari. Quid plura? Componuntur excitati motus, sedantur tumultus,

centurioni miles, imperatori paret centurio, et quæ prodigia desperationem militibus, firmisimam spem ac certissimam duci anxio pepererunt. Luna ille defectus a natura erat: quia tamen rudi populo aliquod irati numinis indicium videbatur, ideo positis armis sese composuere ad pacem et concordiam. Nobis non vanum omen, sed minatur in hodierno evangelio ipsum Dei verbum, quod asserit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, reus erit concilio, reus erit gehennæ ignis*. Quantus et quam terribilis superni luminis defectus! Non videre amplius lucem, sed in tenebris exterioribus et tartareis versari per omnem æternitatem! Quis ad hunc minacem sermonem, ad illum minacem diem, non componat amicitiam, et ruat in amplexum suorum inimicorum?

III. Vade ad bestias, et ab his helleborum pete. Mutianus, apud Plin. lib. VIII. cap. LVI. prodidit quod dicam. Erat pons prætentus: duæ in eo capræ sibi invicem fuerunt obvix e diverso. Cum igitur ambas angustia pontis non caperent, nec reditum longitudo pontis admitteret in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluente, altera accubuit, atque ita altera proculcans supergressaque transit. Quid jam, agas tu, si in aliqua contentione cornua sua cornibus tuis apponat inimicus tuus et cedere tibi nolit? Bestia una alteri obvianti cedit, atque in genua procumbit; et homo non velit cedere ac conciliari inimico, cum in angusta cæli via constituti, subterfluenti inferni flumini sint expositi? Sed videte et ciconias quam discordiarum hostes sint. In magno spec. exemplorum, dist. IX. ex. LXII. narratur, cum Gregor. IX. papa ante initum pontificatum dictus Hugolinus, apostolicæ sedis legatus in Lombardiæ quadam civitate, dissidentes inter se magnates vellet conciliare, et una quidem pars arbitrio ejus se submitteret, altera vero nihil de pace statuenda audire vellet, excommunicatum esse capitaneum, dissensionis auctorem et pacis repudiatorem. Hoc fulmen ubi contempsit capitaneus, ciconiæ tremuerunt, quæ turribus et caminis ejus nidos superstruxerant; quippe illico infestam sedem deseruerunt, nidosque suos in alterius capitanei, qui legato pontificis obtemperare paratus erat, domum transtulerunt. Hoc postquam vidit contumax ille, se scilicet a Deo irato punitum, veniam submissus petit, vinculoque anathematis ligatus, totum se in legati voluntatem tradidit. Ac ne putes temere ciconias migrasse, postquam capitaneus iste in legati et Dei gratiam rediit, redierunt et ciconiæ ad domum illius, nidosque suos reportarunt. Quid hic nos auditores? Non frustra dixit Dominus noster: *Aspicite volatilia*

cæli: et quod Jeremias, capite VIII. ait: *Turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui* (scilicet quando et ubi nidificent), *populus autem meus non cognovit iudicium Domini*. Quis enim nisi Deus duxit et reduxit illas ciconias? Scito igitur Deum a discordiis avolare, ad concordem advolare sua gratia. Ergo naviga Anticyras, et discite vel a brutis reconciliari fratri tuo.

IV. Vade ad rudes et omni sensu carentes creaturas. Quem sensum habent muri et lapidum congeries? At istæ discordes fugiunt, ad concordem migrant. Aedes B. V. Lauretana e lateribus constructa Dalmatiam primo, e Galilæa, post inde in agrum Picenum et silvam dominæ Lauretæ angelorum manibus delata est. Verum, cum occasione frequentis ad eam peregrinationis raptores aliqui in silvam sese abderent ac spoliare transeuntes cœpissent, fugit et migravit extra silvam in vicinum collem, qui duorum fratrum erat quasi in concordia locum, ex discordia et rapinae barathro. Post menses aliquot cum opulentioribus in dies dominis cumularetur ac ditesceret, inde avaritia stimulante fratres, dum uterque ad se emolumentum trahere conatur, fraterno odio inter se dissidere cœperunt, et cum altercatione congressi ab irarum certamine, ad arma venire; jamque parum aberat, quin fratres augustissimam Deiparæ cellam fraterno cruore conspergerent. Tum Deus in odium tanti sceleris maternam domum ad jactum ferè sagittæ in alium fundum et vicinum quemdam collem versus mare submovit, paratam iterum mare transnavigare, nisi odia et inimicitia cessent. Ita fert Horat. Tursellin. in hist. Lauret. lib. I. cap. VII. et VIII. Quid hic dicemus auditores? Nonne illud Salvatoris: *Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt?* Luc. XIX. Si non movent nos exempla Hebræorum, gentilium, bestiarum, parietes nos moveant. Cur enim illos Deus amovit a discordibus angelorum opera, nisi quia Deo et angelis odibiles sunt discordes? Addere possem oleum, quod de corpore S. Waiburgæ Eystadii distillat per marmoreum eumque densum lapidem. Nam observatum est, et uti p. Gretserus, tract. de oleo hoc edito, indicat, quod moniales ejus loci quoties in discordiam aliquam inciderunt, toties oleum illud fluxum suum stiterit, donec inter se convenirent. Nimirum hoc est, quod Christus Matthæi XVIII. dixit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quasi e contra dicat: Ubi non sunt congregati, ibi et ego non sum; vel certe inde migro. Vade ad Anticyras et reconciliari fratri tuo, eruditus vel ad ipsa ruditate rudioribus lapidibus.

V. Vade ad inferos et cacodæmones, et disce ab illis. Hi enim ostendunt se discordiarum amantes, imo incentores esse. Patet hoc Marc. V. ubi legio ejecta unanimes consensu, cum alias inter se litigaret, duo millia porcos in mare præcipitavit. Et cur? Ut Gerasenos inter et Christum schismata excitaret, uti factum, quando ut discederet Christus rogatus est ab incolis. Vidit hoc etiam S. Franciscus: cum enim Aretium, Tusciæ civitas, mutuis divisa discordiis semet iret perditum, vir sanctus advolvit pacem compositurus, sed suburbii hospitio exceptus, vidit cacodæmones super civitate volantes, festis interim nutibus et gestibus plaudentes, fomitemque discordiarum ministrantes et accendentes. Mox ergo Silvestrum socium accivit, jussitque accedere ad urbis portam, altaque voce atque in virtute obedientiæ Deo debitæ imperare dæmonibus, ut inde se quantocius proriperent. Imperavit illis Silvester, et mox parvare, confestim quoque civitas positis armis in mutua concordiam coaluit, Ribaden. in vita S. Francisci.

Sed cur, dices, gaudet dæmon hominum discordiis? Facilis est responsio. Primo, quia ipsa in se grave est peccatum, quando charitatem scindit: deinde, quia dum dissidiis homines occupantur, ipse interim eos facilius oppugnare et opprimere potest. Quod si igitur gaudent dæmones de inimicorum discordis, utique gemunt angeli, et indignatur ipsis Deus.

Quid igitur? Nondumne didicimus pronuntiare vocem *reconciliare*? Videte ne contingat vobis, quod Ephrathæis, qui cum discordiam concitassent contra Jephthæ et Galaaditas, occuparunt Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephrathæis transeundum erat. Ibi ergo, si quis Ephrathæus venisset transiturus, cogeatur enuntiare vocem *schibolet*. Quam si non bene pronuntiasset, sed dixisset *sibolet*, statim velut hostis, e pronuntiatione agnitus, jugulabatur in ipso Jordanis transitu, Jud. XII. Eodem plane modo, qui discordias cum fratribus gerunt, veniunt aliquando ad transitum Jordanis; ad *flumen judicii*, et ibi ad quæstionem trahentur a Christo ejusque angelis sc. ut pronuntient vocem *reconciliare*; ac væ ipsis si non possint. Hoc ergo discamus his, ut munus Deo gratum, animas scilicet nostras, Deo offerre ad altare celi possimus.

CONCIO IV.

JUSTITIA FALSA VARIO EX CAPITE.

I. Quando solum externa est. — II. Quando solum interna est, aut potius prætenditur. — III. Quando ficta est. — IV. Quoties politica est. — V. Quando coacta.

THEMA.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. V.

Videbor forsitan alicui dominica præcedenti multum nimis dixisse, cum exegi perfectionem, adeoque et sanctitatem, a sæcularibus hominibus. Quare hodie tacebo, et alium testem adducam, qui pro me loquatur; et quem, nisi illum, de quo cælestis Pater intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite?* Loquere ergo, Fili Dei dilecte: Qualis et quanta esse debet perfectio Christianorum? *Amen dico vobis, inquit, nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quis hic non contremiscat? Clarum enim est vitam Phariseorum fuisse inter Judæos talem, qualis est nunc religiosorum inter Christianos. Multi die noctuque in oratione erant, bis in septimana jejunabant, magnas eleemosynas faciebant, decimas omnium rerum dabant, dure in asseribus cubabant, legem semper præ oculis habebant, in victu et vestitu parci, luxum et voluptatem vitabant. Et tamen istis omnibus contentus non est Christus; sed plus adhuc requirit, si intrare in cælum velimus. Nonne ergo videmus quantam perfectionem a nobis Deus exigit? Quid igitur? Num justitiam aversatur? Non justitiam, sed falsam et pharisaicam. Sic nos monetam repudiamus adulterinam, non quia moneta, sed quia falsa moneta est. Quænam vero illa falsa et adulterina est justitia? Audiamus.

I. Quando solum externa est, qualis erat Phariseorum. Timent qui tales sunt, displicere hominibus non Deo; quia illud unicum in se ornant, quod homines aspiciunt, non id quod Deus inspicit, cor videlicet et internum hominem: vestitu incedunt vili, sed corde alios spernunt: non scortantur, sed corde concupiscunt: neminem lædunt, sed odium animalis cyncum quoque reprobatur esse, Levit. XI. quia nimirum candorem gerit in plumis, subtus pellem et carnem habet nigram, duram, digestu difficilem. Hujusmodi sunt illi, quos dixi, Pharisei, foris albi, intus nigri. Quid vero tibi videretur, si quis hospitem habiturus re-

gem, omnia quidem ministrorum ejus conclavia emendaret atque ornaret; ipsius vero regis conclave sordibus plenum relinqueret? Num in tale hospitium regem intratum putas? Heli sacerdoti Deus iratus fuit, et varias plagas intulit, quod magis honorasset filios suos quam se, 1. Reg. II. *Quia magis honorasti tuos quam me, præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Cor conclave Dei est; exterior conversatio ad homines spectat: Deo igitur præ hominibus cor præparandum et expurgandum est. Unde Ecclesiastici II. dicitur: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Præparantur corda, cum ab omni peccatorum sorde purgantur, et hoc ob conspectum Dei, cui nihil displicet nisi peccatum, idque multo maxime. Induit Heli filios suos ornatis quidem levitarum vestibus, sed non expoliavit eorum animos; timuit correptione eos contristare, et non curavit contristare templum Dei, peccatis ipsorum foede profanatum. Ipsi etiam filii corpore ornati, animo inquinati in templo incedebant; quia Deum corda rimantem non timuerunt, ideo morte repentina extincti sunt, tam filii quam parens.

II. Quando solum interna est, vel potius esse prætenditur. Vult enim Deus sic lucere lucem nostram coram hominibus: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Deum,* Matth. IV. Propterea voluit Deus tabernaculum fœderis non intus tantum ornatum et deauratum esse, sed foris etiam pellibus hyacinthinis cæli colorem referentibus coopertum, Exod. XXV. *Deaurabis eam auro mundissimo intus et foris.* Cur hoc? Quia et interiorem et exteriorem hominem vult bene esse compositum. Hinc sponsam laudans sponsus, Cant. 1. ait: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es!* Et rursus, cap. IV. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Cur utroque in loco bis pulchra dicitur? Quia sponsus vult: *Ut sit pulchra in operibus exterioribus, et in animo interioribus,* ait glossa interlin. Vult ergo Deus non solum corde diligere proximum, sed opere: vult non solum corde credi, sed ore etiam confessionem fieri ad salutem: vult corde nos esse humiles, sed etiam cultum externum cordi non dissonare: vult corde esse sobrios, sed et victu tenui contentos: vult ex corde remitti injurias, sed nec verbo nec opere vindicari. Externa enim opera indicant de internis. B. Tiburtius martyr, socius S. Sebastiani, cum quemdam Torquatium nomine, Christianum se profitentem, et capillos gestantem super apicem frontis, tonsoris arte

compositos cerneret, Fabiano præfecto, ante quem sistebatur, ait: « Credisne, illustrissime vir, hunc esse Christianum, qui in sui lenocinio molliendo capite fimbrias admittit? Qui tonsorem diligit? Qui scapulis molliter gestit? Qui fluxum gressuum improbo nixu distendit? Qui, neglectis viris, feminas curiosius intuetur? Numquid tales pestes Christus dignatus est habere servos suos? » Apud Baron. ann. 286. n. XVI. Neque dicat quis externum splendorem adhiberi solum, ut consulatur honori et familiæ, vitentur hominum obtreccationes, etc. Timor enim hic perversus est; quia perfecta charitas pellit timorem. Hinc lepus inter immunda animalia census et repudiatus est, Levit. XI. quia timidos significat in obsequio divino.

III. Quando est ficta et fucata, directa vel ad vanam gloriam, vel ad alios fines temporales; ut cum aliqui eunt ad templum, ut videant homines; audiunt concionem, ut judicent; dant eleemosynas, ut divites videantur; jejunant, ut parcant sumptibus; peregrinantur, ut fabulentur aut compotitent, velut Judæi illi Jerosolymitani, qui exierunt in Bethaniam, non tam ut Christum, quam ut Lazarum viderent. Quid de hac justitia dicemus? Id nimirum, quod Aggæus, c. 1. ait: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Vidit aliquando B. Arsenius angelum in eremo sua dicentem: *Veni ostendam tibi opera hominum.* Ivit ergo et vidit angelum inter alia fundentem aquas in canalem pertusum, unde mox effluebant. *Sic agunt homines,* inquit angelus. Quinam vero illi? Qui opera bona sua faciunt ob terrenos fines; mox enim effluit quod infundunt. Nota est historiola illius advenæ, qui in hospitio diversatus, cum nil ei foret appositum, symbolum tamen ab hospite postulatus est. Qui cum nil debere, quod nil edisset aut bibisset, se diceret, hospes seipsum saltem nidore ciborum satiatum asseruit. Quare alter monetam deprompsit et sæpius in mensam projecit, ut tinnitum ederet. Tum ex hospite quæsit, an placuisset is tinnitus. Asserente illo: *En, inquit, talem tu solutionem accepisti, qualem mihi cenam dedisti.* Pari moneta solvetur aliquando talibus, qui Deum vano operum simulacro pascunt, juxta id Job. VIII. *Spes hypocritæ peribit.* Non potest placere uxor marito, quæ alteri se comit. Et quomodo placebit Deo qui, non ut ipsi, sed hominibus placeat aut ut sibi consulat, laborat? Ab illo ergo mercedem petere debet, cui placere studuit.

IV. Quando politica est ad vulgi placitum se accommodans: quia nimirum ita cursus mundi vadit, cui se conformat quovis loco et tem-